


ANN. XVI - FASC. II

MENSE FEBRUARIO MCMXXIX

# ALMA ROMA



NON QVID ROMA  
POSSIDET ARMIS  
RELLIGIONE  
TENET



SINGULIS MENSIBUS EDITUR ROMAE, TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

Pro "ALMAE ROMAE," Sociis

nuperrime prodiit JOSEPHI FORNARI

PARVUM ANTIBARBARUM

Volumen, cui praefatus est FELIX RAMORINO. constans pagg. 103, editione portatu facilis, venit italic. libell. 8.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venum dantur eiusdem auctoris Milesiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

Fridianus-Francisculi prandium.

Singulae pretio italic. libell. 2.

(Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus).

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integralm ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXVIII, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellorum 350 pro Italia; pretium duplicatum, libell. Italic. scilicet 700, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngraphan (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, recto tramite requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XVI

Romae, Mense Februario MCMXXIX

Fasc. II

# ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium subnotationis an. MCMXXIX est pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; *ante solendum rectoque tramite mittendum* ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96*.

## PIO XI PONT. MAX.

ANNO VII SACRI PRINCIPATUS PERACTO  
L SACERDOTII INEUNTE<sup>1</sup>

Hunc diem festum redeuntem amicum  
quinque mox annis decies peractis  
cum Pius ritum celebravit alnum,  
hymne, saluta.

Templo in augusto resonat superbus  
plausus et cantus puerum piorum;  
en tubae clangunt veniente Christi  
Praesule claro.

Plaudit in Caelo Decimus beatus  
iam Pius menti populi sagaci,  
Pastor exultans pietatem in orbe  
tam bene pandi.

Concinit iucunde Oriens remotus  
continens terra et repetens ab austro  
nomen ardorem pietatis altae  
Praesidis orbis.

Crux, peraugusta effigies salutis,  
quam manus virum valide volando  
ultimis oris pepigit, triumphos  
prosperet altos.

<sup>1</sup> Hoc carmen scriptum iam erat, quum praeter exspectationem miraculum rei novae nuntiatum est, totum orbem vero afficiens gaudio, quod aliud quoddam magnificientius deposceret carmen. Tempestivius tamen visum est id edere, omnia quum prorsus erunt sancta.

*Tu Secundus qui, Pie, floruisti  
litteris praestans, legionis almae  
suasor, Hunc tantum studiis faventem  
adspice laetus.*

*Vaticanis qui bene praefuisti  
antea libris, Tibi tam superbis  
splendor adiunctus tribuendus orbe  
iure stupente.*

*Sis ovans, Pastor bone, cum corona  
magna circumstet Te ovium bonarum,  
aemulum Iesu pueros benigne  
semper amantis.*

*Parvuli incorrupti, aliquando laeti  
forte dicetis: « Die ego hoc sacrato  
Hostiam Papae manibus recepi  
e venerandis ».*

*Congruunt sacra haec bene quam diei  
nascitur quo Rex Dominus potentum,  
aura cum spirat stabilis, serenae  
pacis in orbe.*

*Pontifex noster, benedic amanter  
aemulis maiorum Italis novellis,  
qui in Deo sancte capiunt renasci,  
alme Sacerdos.*

#### NAZARENUS CAPO.

### De latinae linguae studio

Variant ac diversae sunt per orbem terrarum nationes, et cum illis linguae, quarum sua cuique naturalis et vernacula sponte fluit; aliena vel peregrina non nisi multo labore, consilio et studio parari solet. Praesertim linguae, quas demortuas vocant, difficulter vel ideo discuntur, quoniam non aequa omnibus, vel scriptis, vel viva voce loquentibus, de meliori earum nota fidem habere possumus, quem

ne de certo quidem earumdem genio constet; consuetudo vero et usus sermonis quotidianus casset.

Huius generis lingua latina est, illa omnibus perquam iucunda et utilis; praesertim vero iis, qui sedulam bonis artibus ac literis impendunt operam, valde necessaria, quippe quae eruditorum per omnes provincias facienda iterum et constituenta universalis lingua et quasi vernacula, ut per saecula fuit. Sed oportet simul, ut auctoritatem inde suam atque pristinam gloriam recuperare possit, nos eam pas-

sim valde corruptam ad originem suam revocare, vocabula quaeque insigni dele-  
ctu cribrare, et facere, quod antiquitus fecerunt, ut latinitas inde quasi renata omnibus appareat. Latius quidem latinae linguae quam latinitatis nomen; neque enim quicquid illius continet forma et amplitudo, vel etiam copia, vulgo appellatur Latinitas, verum illius tantum castitas atque integritas, sive exquisitus loquendi modus, qui sermonem romanum purum et ab omni barbarie ac peregrinitatis vitio remotum conservat.

Latinitas est recta dicendi ratio, ad veterum Romanorum regulam accurate instituta, quae totum sermonis habitum praestat emendatum, purum atque perspicuum; ut nec a vulgari oratione, nec ab sensu communis consuetudine abhorreat; sed rebus maxime accommodata, dicentis mentem recte exprimere, ac solum auditoribus, vel attentis lectoribus satis facere videatur. Neque alia virtus magis ingenium, prudentiam, aut sincerum auctoris de omnibus iudicium prodit.

\*\*\*

Latinitas, et ea, cum optimo dicendi genere coniuncta, castitas romana, quam Ciceronis et Augusti aevo sartam tectam habuerunt,<sup>1</sup> procul dubio in hac lingua stili et sublimioris, et medii, et tenuis, omniumque formarum virtus est longe maxima, quae orationi animam impertit, dictionem rebus accommodat, et eo usque dominatur, ut nihil prorsus vitiosi obtineat. Ipse M. Tullius, qui eloquentiae tenuit principatum, quamvis eum nimia ingenii facilitas, et nescio quae vanitatis indulgentia videretur a recto detorquere potuisse, ita tamen latinitate, id est ser-

<sup>1</sup> Cic., *De claris orat.*, 96: « Domi teneamus eloquentiam, tueamurque, ut adultam virginem, caste ». Et PETRON., *Satyr.*, c. 2: « Grandis et, ut ita dicam, pudica oratio non est maculosa, nec turgida, sed naturali quadam pulchritudine exsurgit ».

monis puritate et elegantia, cohibitus est, ut, maxima etiam copia, nunquam redundans, nunquam vitiosus, nunquam ineptus reperiatur. Neque stilum res alia commendat magis, ut emendatus et simplex, dilucidus et succi sanguinisque plenus, plane omnibus arrideat nisi qui fuerint ab humanitate alieni. Stilus autem concatenata appetet ex se fluentium cogitationum expressio, viva vel facta voce, vel scripto consignata, ad sensum clare, commode et distincte cum aliis communicandum. Ut ea loquendi ac scribendi comparetur facultas, atque stilus recte formari possit, prudenti consilio, diligenti observatione, saepius repetita lectione, usu denique, vel imitatione, ac frequenti exercitio opus est. Ita Claudianus preecepit:

*Quod mox imitere legas, nec desinat unquam  
Tecum Gratia loqui, tecum Romana vetustas.*

Sed iudicio haec omnia dirigantur maturo. Neque sufficit modos loquendi vulgares et semibarbaro didicisse: oportet in primis illum, qui non superficiariam studiis elegantioribus operam impendit, in id eniti, ut latine, id est emendate et apte, quicquid sentit, exponere atque cum aliis communicare valeat. Hoc fecerunt, ne quid de veteribus, virtutis suae tenacissimis, dicam, post restauratas saec. xv et xvi literas et vindicatum latinæ linguae pristinum honorem, viri maximi quique; nec quisquam sere exstitit, qui cum reliquis disciplinis non eloquentiam et huius linguae studium coniunixerit.<sup>1</sup>

\*\*\*

Doctrina stili tam late patet, quam ipsa rhetorica et eloquentia, imo et oratoria, ad cuius sacrarium nemo facile penetribit, nisi grammaticae et rhetorices, inferiorum artium, hausta cognitione solidiori, et priusquam sibi comparavit sermonis

<sup>1</sup> Cfr. ex. gr. Politianum, Bembum, Sadoletum, Manutios, Muretum, Sionum, Cuiacium, etc.

latini puritatem, verborum copiam, rerum variarum ex historiis atque poëtarum operibus scientiam, item dialecticas institutiones, argumentorum vim atque rationes, singularium partium praecepta non vulgaria, dicendi characteres, formas, alia.

Sed totam hanc doctrinam persequendi non est hodie hic locus. Id vero affirmandum est, si quid sit, quo tritum valet, multos profecisse nisi iam se profecisse putassent, omnino latinae linguae et eloquentiae studium esse.

Nam statim ac inferioribus scholis exemptus est aliquis, opinatur grammaticam se suam callere et linguam, ut pudeat pigeatque eum petere altius ulteriorem istius institutionem. Malunt plerique doctores videri quam esse; vel etiam putant, praetudiciis pessime occupati, levia esse haec studia et ingenii puerorum accommodata.

Sed falluntur et faciunt nae intelligendo, ut nihil intelligent. Haec studia, ut ab humanitate et elegantia vocantur, ingenium, nec id vulgare, maximamque curam requirunt. Summi viri aliquando in istis aetatem egerunt, et experti sunt, quod Tullius adeo praedicat, omni aetati et fortunae mortalium vel ornamenta, vel solatia praebere, delectare domi, non impedit fore, pernoctare nobiscum, peregrinari, rusticari. Latina lingua, sed eam quae Ciceronis aetate fuit, perfectam intellico, tot tantaque, ut verum fatear, recondita habet, eaque observatu dignissima, ut praeceptis nullis recte tradi possint; ac non nisi ab illis observari, qui optimos scriptores, ductu periti alicuius doctoris, inspiciunt, spectantque oculis propemodum lynceis. Auctor essem adeoque omnibus ingenuis adolescentibus, qui in bonis literis proficere cupiunt, ut tradant sese magistro, studii elegantioris amantissimo, ab eius ore pendeant, eiusque monitis in explicatione classicorum auctorum utantur.\*

I. N. F.

## AESTHETICAE NOTAE

### De musica.

*Musicae* nomen esse a *musis* satis perse liquet; itaque apud antiquos signabat universa humanitatis studia; sed in posterum id nomen *modulationi numerum* seu *notarum* tributum est. Hinc musica vulgo dicitur: *ars sonituum*.

*Sonus* proprie est rerum non viventium; *vox* est sonus animantium; vox prolata ad internos animi nostri sensus manifestandos dicitur *locutio*. *Sonitus* generatim ad significandum quemcumque sonum hic usurpatur. Maior vel minor altitudo sonituum est *tonus*. Sonitus certis modis tollere aut premere, certisque temporis mensuris producere aut corripere, est id, quod *canere* vel *modulari* in musica dicitur. Unde musica a S. Augustino definitur: *Scientia bene modulandi*.

Profecto obiectum, circa quod musica versatur amplissimum est: etenim musicæ officium est vividiores, nobiliores, dulcioresque inter animi nostri affectus seligere et exterius manifestare per sonituum ministerium. Hinc gaudium, voluptas, luctus, tristitia, spes, audacia, timor, ira, patriæ amor, familiae deliciae, religionis cultus... musica exprimuntur. Artes affines, seu potius quae solent naturali propensione cum musica sociari, sunt *cantus, mimica, chorea*.

Musica ab aliis artibus tum *materia* tum *forma* differt.

Materia propria musicæ sunt sonitus, prout supra dictum est. Eius autem forma specifica est *exaltare*, hoc est *attollere ad supremum expressionis gradum* *varios animi nostri affectus*. Sane unaquaeque ars pro suo modo ut exprimat et moveat in spectatoribus istos affectus

studet; ast musica *hoc ipsum* obtainere satagit, modo magis directo, vehementi que.

Exemplo res illustretur. Pictor, sculptor, architectus... formam moeroris exprimit per determinatam rationem et signa propria, in cuius conspectu procul dubio animus intuentum dolet. Age vero eamdem formam a musico clare spiranterque exprimi, et tunc fletum et gemitus quisque audientium compescere nequit.

Musicae igitur eximia forma mente concepta est *exaltatio humanorum affectuum*. Huiusmodi expressio periucunda quidem accidit et praepotens ad excitandos similes affectus in auditorum animis. Musica non tantum movet, sed homines flectit et rapit. Attamen expressio, seu locutio musicæ propria, est nimis vaga, generica, indefinita. Musica enim directe non loquitur ad mentem, sed ad animi affectus: per se non docet, sed movet. Hinc et delectabilior et pervulgatior ceteris artibus musica floret. Aliis verbis, quia musica per merum sonituum ministerium affectus exprimit modo universalis seu indefinito, scilicet non laetitiam vel moerorem istius vel alterius hominis, sed maestitiam et moerorem ipsum absque determinatione, ideo omnibus, semper et ubique placet. Omnes enim semper et ubique secum ferunt quasdam praeteritae vitae laetas vel maestas affectiones, quas musica excitat per naturalem suggestionem. Re quidem vera, conspicimus musicam adhiberi in pace et in bello, in conviviis et funeribus, domi et ruri, in rebus sacris et profanis, imo fere semper assumi ad ornamentum ceterarum artium.

Definitur ergo musica: *Ars exprimendi et exaltandi humanos affectus per rhythmicam modulationem numerum*.

Musica per se abstrahit a quovis signo articulato, seu a locutione: quapropter signa manifestativa huius artis propria sunt *sonitus*, non *verba*.

Sonitum significatio tota naturalis est, nulla conventione coarctata, ac proinde captu facilis etiam rudibus et imperitis. Etenim quisque nostrum, ipsa natura duce, didicit moerorem lento, gravi tono aliis manifestare; tono autem celeri et acuto propriam laetitiam. Etiam bruta animantia sonitum locutionem discriminatione quadam percipiunt; ac proinde quaedam ex eis musica delectari cernuntur. Si quis autem quaerat rationem connexionis inter sonitus et cordis affectus, haec reponenda videtur in mira, quamvis arcana, conformitate sonitum ad aures et ad humani cordis physiologicam structuram. Unde diversi sonitus diversimode immutant potentiam sensitivam; diversa autem auditus sensatio diversos movet animi affectus, diversa animi affectio diversa excitat phantasmata, quae diversimode commovent praecordia.

Etsi naturalis est sonitum cognitionem studio et usu magis magisque perficitur. Peritia igitur musici est adnotare obviam sonitum significationem; quam diligentissime discriminare eorumdem quantitatem et proportionem ad nervos auditivos; intueri connexionem inter grammam auditus perceptionem et motus seu affectionem cordis, ut possit intimam formam suam adstantibus dilucide manifestare. Hic labor et Genii dexteritas.

Etenim non sufficit ut sonitus tantum sibi invicem succedant, sed necesse est ut inde exsurget quid multiplex et unum, quid iucundum et alicuius formae interpres. Hoc autem efficit *Rhythmus*, qui merito habetur velut *anima* musicæ. Rhythmus musicalis est *symmetrica divisorum sonituum distributio*, seu proportio ex varia et grata dispositione accentuum, pausarum et durationis numerum consequens. Ex rhythmica autem sonitum sibi succendentium dispositione exurget *melodia*. Duo aut plures melodiae simul unitae, efformant *harmoniam*. Aliis

verbis, iam primum in animo artificis insedit *conceptio quaedam* seu *eximia forma*; postea ei aptatur vestis exterior; quae simplex erit, si *melodia*, ornatrix vero complicatrixque, si *harmonia*.

Musica duplarem in nobis generat delectationem, sensibus obnoxiam alteram, alteram animo.

Prima est iucunda auditus modificatio et praecordiorum commotio, ex undis seu radiis sonoris orta, iisque coaptatis atque compositis cum fibris *acustici nervi* secundum certas physiologicas leges, quas mathematica quadam praecisione praeceteris Helmholtz statuere satagit. Si haec proportio deest, sive per excessum, sive per defectum, habetur ingratus sensus.

Secunda vero est nobilior, quia pertinet ad nobiliorem hominis partem, nempe ad animam, quae, opitulante imaginatione, ex sonitum significatione ingentem capit iucunditatem. Haec duplex delectatio simul habetur in homine propter unitatem naturae. Hinc explicantur emotiones et raptus, elevationes mentis, suavis praeteritorum reminiscencia, novarum multiplex in animis rerum novarum informatio; uno verbo, mundus quasi novus imaginum, aspirationum, affectuum. Musica praeciente, homo praesentis oblitus, in futurum, vel praeteritum rapitur indicibili propensione et suavitate.

Hinc quisque facile intelligit quanta et qualis sit musicae efficacia praesertim ad iuvenes instituendos.

«Assentior Platoni, ait Cicero, nihil tam facile in animos teneros atque molles influere, quam varios canendi modos; quorum dici vix potest quanta sit vis in utramque partem (scil. in bonam, vel pravam)».

Ex dictis circa musicae naturam inferuntur particulares leges, nempe:

a) Praeter gratam sonitum proportionem ad auditum, necessarium omnino est, ut melodia concors sit cordis motibus,

suam formam contineat, non singularem, sed vagam; et hanc formam tam clare manifestet, ut illos revera affectus in auditoribus suscitet, quos movere intendit. Secus non musica, sed strepitus.

b) Insuper melodia unitatem operis et servare et patefacere debet: ideoque non sit saepius, vel perperam interrupta, nec veluti ab harmonia oppressa.

Melodia enim et harmonia se habent veluti delineatio et color in pictura. Sicut igitur colores nec celare, nec debent corrumper figurarum lineamenta, ita harmonia nec occultare, nec disrumpere debet lineamenta operis musici.

c) Musica exprimit et exaltat animi affectu; seque nequit esse mere sensifera, nec mere metaphysica, seu rationalis, sed utramque partem complecti debet.

d) Denique, quia praepotens admidum est musicae vis, ea uti debemus in solatium animi et profectum. Ideoque qui ad lasciviam vel mollitatem morum musicam adhibent, pessimo crimine maculantur.

Pariter non leve detrimentum patitur aliqua natio, si musicam nimium colat, ceterasque artes et disciplinas, praesertim vero poësim negligat. Hoc enim modo vis mentis enervatur.

e) Musica instrumentalis tantum, imprimisque symphonia, praestans est et efficax ad affectuum expressionem et exaltationem; cantus tamen praestantior. Nihil enim efficacius dari potest quam humana vox ad animos commovendos. Humana vox primum locum tenet in exprimendis mentis cogitationibus animique affectibus, et magis placet, sive quia nostra est, sive quia clarius suam formam manifestat, sive denique quia praeceteris dulcedine et melode ditissima est. Quapropter cantus iuvari quidem instrumentorum sonitu potest, sed nunquam opprimi.

G. LEPORE.

### Certamen poëticum Locrense

De exitu poëtici huic latini certaminis atque de novi certaminis inductione abunde satis in superiore commentarii nostri fasciculo retulimus. Nonnulla hodie addimus, iuxta notitias a clarissimo viro Carmelo doct. Triumviri, certaminis eiusdem auctore, pro sua humanitate nobis ultro transmissas.

Pro certamine igitur anni MCMXXVII, sex supra triginta carmina ad iudicium in tempore pervenerunt; quorum duo: *Ad Ducem Benitum Mussolini* et *Nec verbum verbo curabis*, adimitti non potuere, alterum quod manu scriptum erat, alterum quod e decem, unde constabat, partibus, nulla quidem legitimum versuum numerum implebat.

De reliquis, statim duo seposita sunt, utpote certamine prorsus indigna: *Terraemotus Messanae* et *Vexillum italicum*.

Paullo minus improbanda erant: *Ex Algido monte Latium contemplans* et *Somnium*; neque multo plus placuerunt, quibus tituli: *Tropaea*; *Cestilia*; *Octavia*; *Amphitheatum Pompeianum*; *Victus vitor*; *Aemula Capua*; *Convivium*.

Aliqua laude non carebant: *Villicus*; *Tecum tibique, mater*; *Francisco De Pinedo*; *Poëta et puella*; *Irae*; *In Christi ortu*; *Hymnus in Dantem Aligherium*; *In celebrem Tiraboschi*.

Multo autem meliora erant, et in limite laudis recensenda: *Amicorum minimus*; *Chorilla et Halmus*; *Sabini ruris luctus*; *Crathis*; *Herculanum resurgens*.

Magna denique laude visa sunt: *Avia* et *Paulus*, quae, scidulis apertis, cognitum est *Quirinum Ficari* et *Iosephum Morabito*, uti diximus, condidisse. His vero praestabat carmen *Post discessum Brundisio Maecenatis*, quod iudices aureo numismate ornandum censuerunt; cuius auctor

prodiit, quemadmodum notum est, *ADULFUS GANDIGLIO*.

De viginti et sex carminibus ad tempus pro certamine anni MCMXXVIII missis, duo reiecta sunt: *Tityres* et *Meliboeus*, manu scriptum; et *Ad polum*, typis expressum.

Minime placuerunt: *In quinquagesimo ab obitu Immortalis Pontificis*; *Heros*; et in mediocribus ponenda visa sunt haec: *Aurea nuptialia*; *In laudem sancti Constantii Abbatis*; *Plinius*; *Mira Lourdensia*; *Ad aram Patriae sacrum*; *Hosanna Filio David*.

Proximis aliqua virtute praestabant quinque: *Dulcissima effigies*; *Venator amens*; *Tripolis expugnata*; *Modulamina*; *Altrix Vergili nympha*; maiore vero, quae sequuntur septem, ita ut *in limine laudis* libenter recenserentur: *Redditus Tibulli*; *Personae et vultus*; *Italicae gentis origo*; *Parvus amicus*; *Pauperculus Assisas*; *Certamen pastorum*.

Duo laude digna restabant: *Redditus Sardinia* et *Martyres*, quae Dominico MIGLIAZZA et Iosepho MORABITO deberi ex scidula carminibus adiuncta compertum est; sed non ita, ut praemio aureo digna et ipsa iudicarentur.

Ex nostra parte addere iuvat Iosephum Morabito nostrum esse socium dilectissimum; cui itaque gratulamur ex animo, atque fore ominamur ut ex proximo certamine vitor discedat.

### ALEXANDER ZAPPATA

Alexander Zappata anno millesimo octingentesimo sexagesimo Comachi (Comachio) natus, Bononiensem lauream consequutus, latinas graecasque litteras in Anconae lycaeо triginta vel plures annos, magno sodalium discipulorumque

plausu docuit. Summa ei linguae latinae que Musae peritia, piissimus animus; honestissima semper prosequutus procul a turba et honoribus, a blanditiis vitae que mendaciis secretam cum familiaribus vitam egit. Postremo implacabili morbo terque quaterque penitus oppressus, Christiana fide, candidissimo animo, plorantibus optimis, Anconae postridie kal. febr. mortem obiit.

Plurima eius et pulcherrima latina carmina supersunt, saepe in Batavo certamine praemio et laude ornata, ut nuper carmen *Mater Iesus et mater Iudei*, nec non carmen *Pauperculus Assisiensis*, Gera censem laudem adeptum. Nonnulla de patriis lacunis (*De piscatione anguillarum*, *Ophis et Alcon*, etc.), singulatim edita, quaedam excerpta in Anthologia<sup>1</sup> a C. Tincani curata.

Optimi latinae poëtae obitum lacrimis et laude iure meritoque persequimur.

JUNIUS GARAVANI.

## HISTRIONES ET CIRCULATORES

Non erit abs re, puto, hisce praesertim diebus, quum Bacchanalia, quae nondum aboleri licuit, h̄c illic renovantur, nonnulla de histrionibus et circulatoribus dicere, verbisque illis, quibus varii superiorum temporum scriptores in eorum gestis describendis usi sunt.

Primus Stephonio, sive Stephano Peliot, sit locus, qui de comicis histrionibus in suis *Prosis* (IX) haec scripsit: « An non eius artificium praeclarum putem, quo potest hominum lautissimorum gratiam demereri? Qui placeat vobis? Qui quotidie nunc facetissime, nunc luctuosissime vos oblectet? Qui nescio quid actuosum vultuosumque perso-

<sup>1</sup> Prosa e poesia latina, vol. II, pag. 577.

Sed satis; quamvis auctor diutius insit in declamationibus suis, quas nescio

natus, assidue meditatus alienam operam ad suum lucellum abutitur? Qui maiore fortasse cum mercede quam laude vel in tragico syrmate vociferatus cum Atreo, vel in comico palliolo delitigans cum Cremete, venalem vocem exercet? Cuius ingenium in gestu, gestus in quaestu, quaestus in sumptu, sumptus in scenis et caenis, utinam non obscoenis, fundus autem et fundi vectigal in risu fletuque vestro situm est, quum bene famam obsonaverit laterum exercitatione, non caenitat? Qui solus ex omnibus sic habitat in animis, oculisque vestris, quasi qui spiritum ex ore vestro ducat, et tum demum verissimo ritu rideat ipse, qui modo flebat in tragicis, ubi facto fletu suo flere vos senserit? Tum contra iure float, et quidem ex animo, quum siccis oculis ad suas lacrumas, vos non allacrumare perspexerit? Qui, si vobis placuit, habet ut sumptum faciat in coenam: si displicuit, iejunus ex ventris inanitate suspirat? An solus Lucius vestris aptus est auribus? Minime. Multi cum illo thesaurum bonorum suorum in vestris auribus posuerunt. Auctor quaestuosissimus idem et sumptuosissimus, longum agmen trahit theatralium congerronum, multam alit familiam mimulorum et mimularum; nec parvo potest esse contentus ». Itaque nisi quotidianum industriae suaे foenusculum exegerint ex eorum largitate, quibus ipsi nihil praeterquam verba locare poterunt, de die in diem sarcinulas colligere sunt parati et alio se conferre. « O novum pecuniarum aucupium! O segetem epularum novam! Mirum: voce seritur, voce metitur, voce coquitur, voce conditur, voce conficitur quo vescuntur ». Et « scena praedium, capona sepulcrum est: quod in scena de die conquerunt, in capona de nocte consumant. Nesciant an sapient ut loquantur, an loquantur, ut sapient; an vivant ut edant, an edant ut vivant... »

an rethoricas dixerim, si eius histriones illius generis erant, quod Leo Sanctius (*Flor.*, I. III, 1) descriptis. Audite:

« Ecce prodeunt e gurgustiis congerones infimae sortis, madosissima membrorum structura compacti, alii aliis corporis partibus imminuti ac distorti, mira aegritudinum diversitate morbosi, mutili pedibus, humeris gibberosis: ulcero: i capite, coeculant oculis, ventriosi, suspiciosi, liene turgidi, eruptionibus pustularum inflati, colore buxei, ferrei, porracei, luridi, cineracei, omnes distorti, semiamicti centunculis et palliastris omnes; tanto in numero, nullus ad numerum quicquam agere... et, ne otiosi essent in negotio ludicro, inflare buccas, torquere genas, dentes exerere, odorem tetri sulphuris inhalare, fronte et oculis tumultuariis tabernariam exercere. Mox ecce tibi matrona severior flagella varia subministrantibus gratiis prodibat in scenam, doricumque saltans, hoc est sacro furore percita: cum rithmo nebulones illos toto proscenio palantes agebat. Tum ne impune bacchanal fecissent, verberones illos innumeros numerosa verberatione donatos, partim sua, partim suorum comitum opera dimittebat. Claudis igitur crura dirigebant norma lignaria, coecuentes cogebant collyrio querco stellas cernere in meridie, ventriosis applicata virgidemia more Turcico medebantur, scabiosis ulneo pectine pectebant cutim, elephantiacis radebant saniem novacula querculana, sordidorum scapulas strigili mundabant, gibberiosis quadrabant humeros roborea regula, ligneoque malleo tentabant concavum, an campana inde aliqua resonaret, reliquorum distorta membra redigebantur in ordinem lores perpendiculari ».

Ad circulatores deveniamus, quorum opera non ita sordida, imo foeda, appetit apud Famianum Strada (II, I):

« Nimirum - ait - subit h̄c animum recordatio Circulatoris Agonalis non ille-

pidi, cuius calliditas nostrae huic disputationi commodam venit. Ascenderat hic cum socio fortuitum pegma, expositisque de more mercionis, praetereentes histrionali artificio advocare conabatur: quum coetus non fieret, pretiosa quaeque promere, nova et exoticae conditionis unguenta manibus abluendis odorandisque praedicare; extollere in caelum laudibus dentium munditas.

*Nitelas oris ex Arabicis frugibus  
Tenuem, candicatum, nobilem pulvisculum  
Complanatorem tumidae gingivulae,  
Converritorem pridianae reliquiae,  
Ne qua visatur tetra labes sordium  
Restrictis forte si labellis riseris.*

Praeterea oscilla, insertis clam digitis, mobilia in pugnam committere; pelves sublimes iacere; serpentes innocenter admoveare pectori; cultros infecto mucrone devorare, aliaque praestigiarum plena in vulgus edere... »

Nonne-huiusmodi circulatoribus, nostris ipsis diebus, post saecula tria a quo ille scribebat, non raro adhuc occurrimus?

Et « vidisti ne aliquando ligneum simulacrum - ita Vincentius Guinisius in suarum allocutionum prima -, quo circum foranei praestigiares ad merces extrudendas e pegmate proponunt in vulgus? Illi cervix affixa mobilis, et quibusdam quasi vertebris ad circumspectum idonea: brachia quoque lentula et flexibilia levibus inserta nodulis, ut circum agi facile possint; sub pedibus trochuli rotulaeque trussiles occultae, ad molem quo iusseris promovendam. Mox callidus intra proscenium machinator arcanis quibusdam planaque intestinis fidiculis humanum illud automaton moderatur ad gestum, ad nutum, ad renutum, immo ad vocem sermonemque; veritate usque adeo repraesentata, ut aliqua resonaret, reliquorum distorta membra redigebantur in ordinem lores perpendiculari ».

Ad circulatores deveniamus, quorum opera non ita sordida, imo foeda, appetit apud Famianum Strada (II, I):

« Nimirum - ait - subit h̄c animum recordatio Circulatoris Agonalis non ille-

Sit; imo etiam fuerit illis!  
Ultima de funambulis sunto, quae ex notissimo illo *Palatio regiae eloquentiae* (Exerc. IV, lect. 7, 1) referimus: «Est profecto spectaculum illud admirabile et tremendum, ubi vel procera, vel iusta magnitudine vir per extensum funem non graditur modo, sed vibrato sursum corpore pedibusque micantibus, cytharoedo personante salit ad numerum; ubi, adjunctis ad plantas orbiculis et muricibus, tabulisque suppositis ingreditur tamen, ac cytharae praeeundi molliuscula saltatione respondet. Ubi mustelarum, aut anguum modo, peccatore prono projectoque perreptas ad nervum, ubi resilit, ubi suspenditur, ubi ex simulata prolapsione sese refert in gradum».

Sed funambuli spectaculum versibus etiam expressum est a Vincentio illo Guinizio, quem supra memoravimus (*Epigr. 37*), cum quibus claudemus rivos:

*Quis novus hic caelo suspendit Daedalus ales?  
Sed vereor, ne sors Icaron esse probet.  
Aspicis ut tenui feliciter audet in aura  
Ceu subeat stabili ludicra bella solo?  
Fune super tereti tutissimus errat, et artem  
Ludere dum gestit, ludatur arte timor.  
Hic choreas impune ciet, se seque supinum  
Librat, et intorto turbine corpus agit.  
Argutat pedibus, tremuloque per aera saltu  
Tollitur erectus, sed tamen inde redit.  
Nec mora, nec requies: iterum ter pectus in altum  
Surgit, et in gyrum ter vaga membra rotat.  
Corpore dum pendet, sola cervice tenet se,  
Et vere ad restim colla redacta gerit.  
Tum simulat casum, pepitoque timente, timorem  
Ridet, qui populi vota timere facit.  
Quin capite obverso, totus pede pendet ab uno?  
Dumque pedem absolutivit, dextera supplet opem.  
Iam iam casurus redit, incertumque theatrum  
Quas iubet in partes, speque metuque trahit.  
Nec solus pendet, sed enim pendentia secum  
Uno ex fune tenet millia multa virum.  
O viles animae et venalia pectora parvo,  
Saepe quibus merces esse ruina solet!  
Quon funem aspicitis, potentiam, dicite: Forsan  
Ultima iam vitae linea ducta meae est.*

## COMMUNIA VITAE

**Petitur et datur facultas rogandi. — Concedentis comitas laudibus extol-**

**litr.**

— Qui omnium, quos quidem noverim, es officiosissimus, des mihi etiam copiam (facultatem; licentiam; potestatem) te ro-

gandi ut ...  
Qui es ad officia tam proclivis (pronus; Qui es adversus omnes officiosus; Qui officiose ita es affectus; Qui officii et operae studiose es largus; Qui ad gratificandum es propensus; Cui liberalis est omnibus bene merendi voluntas) hoc sinas te exo-

rem, ut ... — Id concede, ut ... — Da mihi, quaequo, veniam, ut ... — Sine te exorari, (Sine me hoc a te impetrare), ut .... — Hoc mihi tribuas oro, ut ... — Hanc mihi gratiam, amabo, concede, ut liceat ... — Per te mihi, amabo, liceat ... — Sit apud te meis precibus locus. — Meis precibus facilem te praebas. — Ne me rogantem suppliciter a te reiicias. — Noli preces meas aspernari.

**R.** — Quid opera mea opus est? — Numquid est quo opera mea tibi opus sit? — In quo meam requiris operam? — In quo nquare tibi operam possum? — In quo mea opera uti velis? — Ad quid operam meam interponis? — Ad quid consequendum mea opera sufficiat?

Quid pro tuo desiderio faciam? — Quid facto opus est? — Praescribe mihi quid factis opus. — Ad omnia operam meam tibi profiteor; an vero omnium rerum libertatem (potestatem) teneo (habeo)? — An libertas apud me est? ...

Atqui omnia mea officia in te constabunt. — Conferam quae in te officia potero. — A me omnia in te ornamenta libenter proficiscentur. — Nullum in te colendo (honestando; ornando) locum aut tempus consumpsero. — Quantum in me

fuerit (quam potero studiosissime) te complectar. — Nullum studii (officii; observantiae) genus praetermittam. — Nullam omnino rem, quae ad utilitatem tuam spectaverit, praetermittam (relinquam). — Omnia, quae quidem praestare mihi licuerit, profecta in te erunt. — Meam in te benevolentiam et voluntatem, quandocunque res tulerit, ostendam (significabo; declarabo; patefaciam; probabo). — Nullum prote laborem, nullum onus et officium recusabo. — Omnem meum laborem, omnem operam (curam; studium; industriam) in tuis rebus ponam atque consumam. — Omnia mea in te studia conferam. — Tibi polliceor ac defero officium meum et operam sine ulla exceptione aut laboris, aut occupationis, aut temporis. — Studium exiguum ac singulare profiteor ac polliceor tibi in omni genere officii, quod ad res tuas spectare possit. — Omnibus in rebus me tibi commodo. — Apud te officium studiumque meum defero. — Universum studium meum et benevolentiam ad te defero.

Tuus sum totus. — Mancipio et nexu tuus sum. — Tibi sum addictus (deditus). — Habes me tibi devotum addictumque. — Omni in re libere uti mea potes opera.

Omnia mea studia (officia), omnem industriam (curam; operam; diligentiam) conferam (referam; intendam) ad honorem et dignitatem tuam. — Nullo loco studium meum tuo honori deerit. — Favebo tuae dignitati (existimationi; honori) quibuscumque rebus potero. — In tua dignitate (ut tibi satisfaciam) omnia studia mea figam (locabo).

— Evidem vir comis es. — Vir commodis et suavissimis affecti accidentibus, et in cadavere nihil morbosi reperitur in pulmonibus. In siccis, adustis, aridis temperamentis id potissimum contingit. Hinc etiam oriuntur pleuritides siccae, asthamata sicca, hydropses siccii, flatulentae et dolorosae partium affectiones, et reliquae huius

ctus videris. — Totus ex humanitate conditus vir (ad omnis humanitatis rationem factus fictusque) videris. — Quidquid agis, cum elegantia agis. — Sic agis, ut gratiam ab omnibus ineas. — In omnes officium praestas (confers). — Vere humanitatem tu retines (foves). — Singulari humanitate praeditus es (excellis). — Nemo unquam humanitate magis abundavit. — Nemo est te aptior (comior; commodior). — Apud omnes constat tui animi inclinationem in omnes esse summam (maximam).

Nunquam putavi te inurbanum (parum urbanum; inhumanum; comitatis parum intelligentem; urbanitatem nescientem; urbanitatem parum scientem; exercendae humanitatis non peritum) hominem.

(*Ad proximum numerum*).

I. F.

## AD SANITATEM TUENDAM

**Aphorismi sive precepta medendi generalia ex pluribus casibus particularibus abstracta, ex variis auctoribus collecta.<sup>1</sup>**

§ 126. — Pulmonum moroi in fine desinunt in soporosos affectus; sanguine enim a superioribus ad pulmones morbo obsessos difficilis recirculante, viis impeditis, haeret in cerebri moeandris; hinc sopor facile accedit.

§ 127. — Saepe moriuntur pulmonici gravissimis affecti accidentibus, et in cadavere nihil morbosi reperitur in pulmonibus. In siccis, adustis, aridis temperamentis id potissimum contingit. Hinc etiam oriuntur pleuritides siccae, asthamata sicca, hydropses siccii, flatulentae et dolorosae partium affectiones, et reliquae huius

<sup>1</sup> Cf. fasc. mens. Decembr. MCXXVIII.

generis, in quibus non flatus causa mali est, sed solidum natura siccum, aridum et violento praeditum e latere; quod ab acri humore magis irritatum vehementer oscillat, et oscillationibus istis fluidorum circumlum mille modis turbat. Dictorum morborum eadem causa et curatio ac hydrops sicci, sive tympanitidis superius descriptae. Hydrops ille siccus verius posset vocari *tympanitis inflammatoria*. Ita STOLL.

§ 128. Erysipelas polmonum ab HIPPOCRATE (*De affectionibus*) describitur hoc modo: « In pulmonis erysipelate adsunt vomitus aquosi, acidique humoris, frequens leipotymnia, dolor acutus, anteriora et posteriora pectoris occupat, sitis ingens, aeger respirando nares aperit, veluti equus a cursu delassatus, et linguam foris exserit, veluti canis aestate, calefactus ab ardore solis; rubet facie, iactatio magna per lectum, septima die moritur ». Gravis est morbus et pauci effugient mortem. HIPPOCRAT. - Notat STOLL: « Gravissima pulmonum inflammatio utriusque lobi cum inflammatione mediastieri videtur absolvire totam erysipelatis pulmonici ideam ». - De morbis solidorum superius descriptorum haec adhuc dicenda sunt. His in morbis, sanguis missus crusta inflammatoria saepissime caret, saltem initio; hinc idea malignitatis oritur, quae medicum ad prescribenda antisepsica: *camphoram, corticem*, etc., determinat; sed male. Nam repetita venae sectio, potusque emollientes mucillaginosi, fibras nimium crispatas, irritatasque relaxabant felicissime. Vitium enim est potissimum in solidis nimium elasticis, nimium vivida irritabilitate praeditis, quae accedente stimulo, etiam tenuiori quam qui in sanguine adiuto observari possit, crispantur, et veram inflammationem faciunt. Ad inflammationem lignendum solida plus conferunt quam liquida. Crusta phlogistica videtur esse potius effectus inflammationis quam causa. Vera enim adest persaepe inflammatio

absque crusta. Patet quam male cortex et camphora his in casibus darentur. STOLL.

§ 129. - BAGLIVIUS (*Prax. medicae*, lib. I) describit catharrum suffocativum, tamquam *peripneumoniam sanguineo-serosam* gravissimam, subitoque ortam, repetita venae sectione, dein aqua hysopi calida decoctis pectoralibus calidissime sumptis; infuso calidissimo florum sambuci, cum liquore cornu cervi succinato, etc., curandum.

§ 130. - Scorbuticis et hypocondriacis saepe fiunt dolores lumborum, qui calcum mentiuntur; sed calculus non est; rheumatismi species est, a sero acri, mu riatico, hinc inde vagante dependens; pete ab aegro, si dixerit alias partes huiusmodi quoque dolore vexatas fuisse; dic lumborum dolorem esse a fluxione vagabundi humoris acri salini, non autem a calculo. - Viola, serum lactis, lenes ex cassia purgationes in principio iuvant. In progressu morbi serum cum scabiosa coctum, vel cum vīpris recens mactatis curationem perficit et compleat, promoto leniter sudore.

§ 131. - In lumbis aliquando afficitur musculus psoas, aliquando ren; musculi externi et frequenter misenterium. Ex longa alvi suppressione, vel alvo praeter morem retardata, ex sapore linguae mutato, levi inappetentia, gravitate totius corporis certior medicus fit dolorum lumborum a repletione mesenterii pendere. Clysteribus et fomentationibus ventris curationem incipit, dein purgationibus absolvit BAGLIVIUS. Quod vult, ut bene sibi notent medici.

§ 132. - Nimius vini et aquaevitae abusus paralyses, tremores, aliasque capitis morbos parit, qui dimisso eodem facile solent sanari.

§ 133. - In morbis lymphae, glandulas occupantibus, si nimium siccaveris, malum: si nimium humectaveris, malum. Per intervalla itaque diluendum, humectan-

dum, ad alvi vias, vel ad sudorum ducentum, et cum prudentia exsiccandum.

§ 134. - Dolor colicus fere semper mitescit in semicupio; ideo in doloris pertinacia utere semicupio.

§ 135. - Dolores ventris a deambulatione nudis pedibus super nudum pavimentum facta, appositis lateribus calidis plantis pedum statim sanantur. Crescente namque calore in pedibus, minuitur sensim dolor in ventre.

§ 136. - Arcanum quedam atque inexplicabile consensum observavimus inter morbos ventris ac morbos cutis. Dolorem colicum vidimus mutatum in arthriticum; et e contra dolores arthriticos, per supervenientem diarrhaeam et colicam, solutos. Hinc quadrat illud HIPPOCRATIS: *Alvi laxitas, cutis densitas; cutis raritas, alvi densitas*. Ideo observamus in praxi, quod diuturnae diarrhaeae, irritis aliis, per diaforetica potissime sanentur.

(Ad proximum numerum).

I. FAM.

nino fuerit, aerarium restitutum, perfecta denique animorum compositio inter gentes Iugoslavorum regno unitas, Serborum nempe, Croatorum et Slovenorum. Quod felix faustumque fiat!

\*\*

### Civile bellum in Afganistan.

Diximus quoque in orientali regione Afganistan, ob immutationes ab Amann Ullah rege latas in veteres mores atque consuetudines, quae quasi religio apud illos barbaros adhuc populos facta erant, seditionem exortam esse, cuius principem se constituit homo quidam ex plebe audacissimus, Chabib Ghasi nomine, qui collecta undique fæce populi, sese dissidentibus commiscuit, magnisque itineribus Kabul, ad urbem regni caput, contendit. Rex imprimis obstitit, deinde imperio se abdicavit pro fratre natu maiore Inayat Ullah. Rebelles vero non arma demittunt, imo impetum acriori vi renovant: urbs expugnatur, novus rex fugit, Chabib summa rerum potitur. Eius tamen iugum non omnes perforunt; quinimo ex eius amicis plures adversarii fūnt; quod in rem suam convertit Amann Ullah, qui abdicationem retractat, bellum sanctum indicit, iamque obsessus obsessor fit. Dum scribimus fortuna anceps manet.

\*

### Alia in Americis seditio.

Alia his diebus exarsit seditio, eaque in Americana regione Guatemala. Illic vero iustae civitatis copiae ius suum armis brevi exsequitae sunt, interfectoque in pugna altero rebellium principe, res ad ordinis tranquillitatem reductae vindentur.

\*

### Foedera.

Inter tristia haec, novum pacis foedus est feliciter recolendum inter Germanos et Russos de commerciorum negotiis ini-


tum; ad tutelam scilicet proprietatis rerum ad artificia pertinentium, navigationis, iuriū tum per arbitratum tribuendorum, tum recognitorum Germanis, qui commercii gratia Russicas regiones petant.

Ex adverso, renovatum haud est foedus inter Italiā et Jugoslaviam; neque mihi, habita ratione rerum, quae in hoc regno evolvuntur.

\*\*

### Italorum luctus.

Italia, superiore mense, obitum flevit alterius ducum, qui in recenti Europae tētērīmo bello res suae civitatis tuiti sunt et ad victoriam adduxere. Aloisium Cadorna dicimus, virum fortē et regi patriaeque non minus quam Deo deditum.



III ID. FEBR. MCMXXIX

*Facere non possumus quin, praecipiūrum huius mensis Februarii cīviliū eventuum recensionem antici pando, faustissimum hunc diem recolamus, quo nova universo attonito orbi lux enītuit, ob diuturnum, inter Italīcum regnum et Apostolicam Sedem, atque funestum discidium compositum, gratiamque inter duas partes reconciliatam.*

*Romana quaestio, quam vulgo nuncuparunt, soluta tandem est per formulam sapientia et singulari politicae mentis ingenio inductam; conventio, concordi mente hodie pacta, superat, corrigit, expungit unigenam illam de Catholici Supremi Pontificis praerogativis legem, cuius defectus intimus, insanabilis, ex superba Status et legiferae potestatis dominatione procedebat, ipsam legem ei temere offerente, a quo comprobari non poterat, quin ratam iniustitiam haberet. Non enim lex illa*

*Apostolicae Sedi iura probe reddebat, huic per vim abrepta; Pontificem minime libertati reddebat, eius naturam attingenti, et a saeculorum cursu per Dei Providentiam apud historiam ipsi attributae: sub libertatis et privilegiorum specie, Christi in terris Vicarium in arbitrium suum redigebat.*

*Principium ex adverso atque fons, unde hodierna manat compositio, in libero consensu est partium paciscentium, modum et ordinem agendi hinc inde decernentium, atque rationes ex novo restituentium inter Civilem Rem publicam et Ecclesiam cum iuris aequabilitate. Qui igitur eventum in se ipso et in civili sensu, - itemque in spirituali, alterum amplificante, - consideret, profecto eum maximum iudicabit, dignumque qui inter faustissimos et auspiciatissimos recolatur non Italiae modo, quae, Duce illo, cuius altae mentis voluntate res est perfecta, traditiones suas novo apertoque consilio repetit, sed orbis universi, cui satis erit admirandum, divinum numen semper adesse, quotiescumque Iustitia et Pax reapse velint invicem osculari.*

*Io, triumphe!*

POPULICOLA.



### VARIA

**Ioannes Matthaeus Gibertus, Verona Episcopus, et Richardus quidam Comes.**

Episcopus iampridem Veronae cathedram tenuit, cui nomen Ioannes Matthaeus Gibertus, vir ingenii, literarum et prudentiae laudibus insignis. Hic, praeter alias virtutes laude dignas, etiam liberalitatis fama excelluit; et peregrinos,

quos nobilitas commendabat, benignissime semper habebat; sine pompa tamen, id est ecclesiastico viro convenienter. Comes quidam, quem dicebant Richardum, hac forte flexerat, et apud Episcopum eiusque familiares, quos urbanitas et doctrina præter ceteros excoluerat, dies plurimos exegit. Gratus his erat et probatus omnibus, ut qui omnem pene sciti et venusti viri numerum impleverat; in hac tamen persæcta vitae morumque imagine pravus mos, tamquam naevulus, apparebat; quem Episcopus, acerrimi ingenii vir, satis vidit, et, post initam cum suis hac de re deliberationem, statuit Comitem, etiam cum aliqua eius offensione, leniter admonere. Quamobrem, quum post petitam acceptamque abeundi veniam, Comes postero die se in viam esset datus, Episcopus uni ex domesticis illas partes dedit, ut eum discedentem prosequeretur, et, arrepta occasione, comiter illum, quemadmodum inter eos convenerat, sui erroris commonefaceret.

Cui hæc partes datae erant, eum aetas, literæ, sales ornabant: erat præterea orationis suavitate insignis, et pereleganti conformatio[n]e corporis, ut qui aetatis suae partem multo maximam in aulis principum consumperat. Hic igitur iam viae socius factus, Comitem sermone super sermonem de varia iucundaque re conatur delinire, quoad tempus longius quam pro opinione lassum, hortatur ut Veronam revertatur: id enim eum Comes orabat, ac tandem exorabat. Conversus igitur ad Comitem laeto vultu et hilari in haec verba prorupit: «Episcopus Dominus meus, illustris Comes, quum se plurimum tibi devinctum agnoscat, neque exigui beneficij loco reputet, quod apud eum tam humaniter diverti, et tenui eius mensa et domo uti sis dignatus, maximas tibi gratias habet, agitque; meritis autem tuis quia parem referre gratiam vix se posse confidit, tamen, ut memorem eum

tantæ tuæ humanitatis cognoscas, mihi imperavit, ut suo nomine munus tibi donarem, obsecrare meque, ut benigno id animo et alaci accipias. Munus autem istud est. Ex omnibus, quos Episcopus in vita novit, quem tecum aut ingenii suavitate aut elegantia morum conserat, putat se vidisse neminem. Hanc ob causam, quum omnes tuas non solum actiones, sed etiam gestus ipsos iusta iudicii statera examinasset, omnia in te vidit, quæ admiraretur, extra id unum, quod inter mandendum labiis atque ore ita strepas, ut facias indignum tuis moribus, atque omnium aures graviter offendas. Peccatum hoc tuum per me tibi notum esse voluit, oratque, ut in posterum ab eo abstinere nitaris, et benevolam hanc eius admonitionem xenii loco accipias. Pro certo namque sibi persuadet, alium haud facile inventum iri, qui tali te munere impertiat».

Comes, audiens exprobari sibi vitium, quod antea nunquam in se ipse animadvertisset, paullulum erubuit; sed tamquam vir, in se mox reversus, subiecit: «Si, quae homines ab hominibus accipiunt munera, huius generis essent, nec illi multo essent, quam nunc sunt, locupletiores. Dicas ergo Episcopo, hanc eius erga me in hoc munere mittendo humanitatem ita profusam esse, ut tantæ benevolentiae aut liberalitati parem orationem adferre me posse nunquam putem: id tamen eum relaturum fructus, ut semper sit auditurus, me hoc vitio ipsius monitu abstinuisse. Vale».

Cerva.<sup>1</sup>

\*\*

Cerva, sitiens, ad tontem ut biberet venit. Imaginem vero suam inter bibendum contemplata, pulchris suis cornibus gloriabatur, grandibus et ramosis; crura

<sup>1</sup> Ex italicis fabulis N. TOMMASEO.

vero despiciebat, quippe exilia et infirma. Ecce sibi interea leo cervam aggressurus, quae tamen fugiens insequentem praeterit, secura semper per planitiem progressa. Sed queretur ingressa prunis consitum, inter ramis cornua implicuit; quare currendo ineptam leo deprehensam laniabat, quem illa: « Infelix! – ait; – mihi, quod despicerem salutem; quo vero fidebam atque gloriabar, neci fuit ».

### Pro iudicibus mensarum elegan- tibus.

ESCARUM ORDO:

*Farina subacta carne farta.  
Pullus elixus cum spinachis ad lati-  
ces.  
Mytili edules in ovorum muria.  
Scolopaces inter crustula veru acti.  
Spuma lactis; ofellae.*

### Locosa.

Tuccius viderat ubi mater reposuisset agni partem igni assam, eaque vix absente mordicus arripit. Dum avide edit, reddit illa, et:

— Vae tibi gulosissimo! – increpat. – Agnum quem ad familiarem mensam comparavi, fere totum absumpsisti! Te pudeat!

— Falleris, mamma. Non ex edacitate feci, sed ut ossa cani ministrarem.

TUCCIO Pater:

— Epistolam, quam super scriptorio hoc reliqueram, tune abstulisti?

— Imo vero in diribitoriam arculum immisi.

— Ut publico cursui tradidisti, quem ei nominis inscriptio deesset?

— Vidi id profecto; sed putavi anonymam epistolam te scribere voluisse!

### Aenigmata.

I

Par iaculo ferio sine vulnere quemlibet  
fultor,  
Narro, cano, doceo, mordeo dente carens.

II

Tergore squamigero correpti pectore lentum.  
Orpheo, narratur silices movisse, magistro.  
Regales auratum seu rude contegit aedes.

Aenigmata in superiore fasciculo pro-  
posita his respondent: 1) *Nemo; Omen;*  
2) *I-da.*

### Libera a pittaciis responsa

Cl. v. E. DES..., *Confians.* – Nescio quam « publicationem » ad te mittere debeam. Subnotatio, quam, in expensarum commentarii auxilium, *adiutricem* appellavimus, est libell. triginta pro Italia; quinquaginta pro exteris gentibus. Summa, quam per diribitoriam nummariam chartulam tradidisti, venit italic. libell. 1,95.

Cl. v. AND. AVEN..., *Bad. Driburg.* – Unde diuturnum hoc tuum silentium? Vidi-  
stine quid de *Candidato latino* sentiam? Scilicet longe aliter ac tu credidisti... et scrisisti!

Cl. v. E. Iov., *Cervera.* – Te tantopere occupatum, ut *Almae...* Matris obliviousci possis?

Cl. v. HIER. FUG..., *in Gallia.* – Heu! in cistellulam!...

Cl. v. IOS. NAR..., *Mediolani.* – Spero, promitto et iuro... cum iis quae sequuntur!

Cl. v. GUIL. HERM..., *Monachii.* – Tibi morem libenter gessimus: *Almae Romae* superioris mensis fasciculum ad omnia Germaniae seminaria, pariterque Austriae, Hungariae et Poloniae misimus, et hunc quoque mittemus. effectum exspectantes. De tuo in nos studio amplissimas gratias habemus et referimus.

### A SECRETIS.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, *Moderator, Sponsor.*

ROMAE - TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

## STANISLAUS FUGIENS

DRAMA HENRICI NOZZII, S. I.

[12]

### ACTUS QUINTUS.

SCENA I.

NAEVOLUS.

Oh caelum! oh maria! oh tellus! ut brevi  
[momento temporis  
Res insperatae intercidunt homunculis,  
Quas nunquam fore vel somniando quidem  
[putent.

En ipsam hanc domum repens occupavit sol-  
[litudo et calamitas:  
Quid istuc rei est? Minor evasit herus cun-  
[ctis imprudentibus.  
Nam cum domi non adessem, quo semper  
[consuerat tempore,  
Mirari omnes: hora interim decurrit una,  
[tum altera,

Dein tertia; nec usquam ipse appetat, aut  
[qui de ipso nuntiet.  
Vereri tunc coeperunt, ne aliquod offendis-  
[set in malum:

Ego ibi lustrare iussus urbem, omnes percur-  
[savi vias  
Et omnes angiportus: ut vero quemquam  
[habebam obvium:

Ehodus, dic, amabo te, vidisti adolescentu-  
[lum  
Capillo flavo, oculis nigris, roseo colore tin-  
[ctus genas?

Negabant omnes, meque iam pudebat: redii  
[ergo domum

Lassatus plane, nam cursu atque anhelitu  
Vix ramicis non rupi et exspui sanguinem.  
Illi hac perculti cura in pueri cubiculum  
Irrumpunt trepidi; nec viatoriis repertis ve-  
[stibus,

Quas ego ipse prius clam depositas adver-  
[teram,

Clamat fugisse, coeunt in consilium, fugien-  
[tem insequi

Decernunt, horsum aut istorum aut illorum  
[plane nesciunt.  
Tandem committunt sorti rem: Paullus, Ful-  
[cius, Bilinskius,  
Conscenso cilio et equis quam celerrimis,  
Dudum abierte; solus hic ego restiti servan-  
[dis aedibus.

Penum primo adii, ubi arbitratu meo  
Detruncans pernam et cyathum sorbillans  
[unum vel alterum,  
Curavi stomachi pedumque lassitudinem.  
Expecto nunc satur dum redeant... At st,  
[num concrepuit foris?

SCENA II.

NAEVOLUS, FULCIUS.

NAEVOLUS.

Heus, Fulci, iamne vos adeo rediistis? ubi  
[est herus?

FULCIUS.

Paullisper hic in proximo apud nobilem et  
[familiarem virum  
Cum Bilinskio substitit; mox hue adveniet.

NAEVOLUS.

Ut vobis cessit iter?

FULCIUS.

Male.

NAEVOLUS.

Etsi non dixisses, ex vultu coniiebam  
[tuo,

Quid ergo narras?

FULCIUS.

Mira plane, Naeole.

NAEVOLUS.

Dic, obsecro, namque audiendi mihi facis  
[pruriginem.

FULCIUS.

Digressi a porta, quae respicit meridiem,  
(Ex ea enim exisse Stanislaum est visum  
[vero proximum)



Multam alacres confeceramus citatis equis  
[viam, cum vidimus  
Peditem peregrini habitu iuvenem...

NAEVOLUS.

Ohe, anne is erat?

FULCIUS.

Tanta obsederat  
Caligo mentes, ut animum nemo nostrum  
[tunc adverterit.

NAEVOLUS.  
Die mihi, quo colore erat vestis?

FULCIUS.

Ferme nigro.

NAEVOLUS.

Ut erat ille petasatus?

FULCIUS.

Petaso nigro, per amplio margine,  
Adspectum ut plane occuleret.

NAEVOLUS.

Ipsus certe erat.

FULCIUS.

Tribus aut quatuor passuum millibus nos  
[praetergressi, illud sumus  
Suspiciati.

NAEVOLUS.

Mirabar: adeo proum fuit

Suspicari.

FULCIUS.

Equos convertimus, regredimur,  
Et quoniam peregrinum illum forte ego unus  
[observaveram

De militari deflectentem, ut primum nos  
[adspexit, via...

NAEVOLUS.

Caute, nam credo vos cognorat.

FULCIUS.

Iter illac recta intendimus.

NAEVOLUS.

Audio: assecuti estis.

FULCIUS.

Rem dicam, cui tute vix habeas fidem:  
Equi repente consternati concidunt:

Auriga instigat, clamat, urget verbere;  
Nec hilum proficit: iurares illos factos saxeos.

NAEVOLUS.  
Portentum narras.

FULCIUS.

Mane, nondum audisti omnia: nos  
[silentio

Intuemur attoniti inter nos; mentes prostra-  
[verat pavor.

At Paullum praesertim, exterritum et cera  
[pallidiorem nova,

Vel unum censes potuisse verbum hiscere?  
[Tum ego et Bilinskius,

Statim ac animus ad se rursus rediit, prodi-  
[gio isto satis

Admoniti...

NAEVOLUS.

Papae! vobis ipsis timuistis.

FULCIUS.

Sententias  
Conferimus; exempli reverti in urbem  
[placet.

NAEVOLUS.

Anne aliud potuit quidquam?

FULCIUS.

Vix auriga habemas verterat,  
Cum equi viam corripiunt cursu...

NAEVOLUS.

Alaci fortasse?

FULCIUS.

Ita concito  
Ut non volare ventos magis existumem.

NAEVOLUS.

Quid Paullus?

FULCIUS.

Fratrem defendi caelestibus  
Prodigiis intelligit, seseque incusat

NAEVOLUS.

am serus sapit.

FULCIUS.

Verum: nunc id accura, quo veniens

NAEVOLUS.

herus indigeat.

FULCIUS.

Hoc agam.

Mira profecto haec sunt, et magnum aliquid

[in his latere censeo,

Quod exitus ostendet demum.

(Ad proximum numerum).